



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
Hielmsl. 2121 4<sup>r</sup> [35-175]





Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 2121 4° [35.-175]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 2121.4° [35.-175]




Early European Books. Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 2121 4<sup>r</sup> [35-175]

728/9 A


N<sup>o</sup> 2121.



*M. Tardieu fecit*







EPIGRAMMATA QVÆDAM  
NON ILLEPIDA, IN  
*Aduentum*  
FRIDERICI II. RE-  
GIS; ET SOPHIÆ REGI-  
NÆ DANORVM ET NORVE-  
GIORVM FELICISS. ET POTEN-  
*tiss. &c. collecta studio*  
NATHANIS CHYTRÆI.



ROSTOCHII  
EX OFFICINA IACOBI LVCII.

Anno ∞ Θ LXXVI.

EPISCOPATUS DUCATUS  
HOLMENSIS



EX REGIA FACULTATE

SCRIPTO ET EXCISIT

FRIDERICO II.  
DANIÆ, NORVEGIÆ, SCLAVORVM  
GOTHORVM QVE REGI  
potentiss. S.



ANORVM commune  
decus Friderice, penates  
Dum Varni exiguos ma-  
ximus hospes adis;  
Insolitum philomela canit:  
rosa pandit honorem  
Aureolum; in leto flumi-  
ne cantat olor.

Quid nam igitur Musæ? sileantne optata patroni  
Gaudia? dum soceri regia tecta petit.

Num taceant Sophiæ cinctam diademate frontem?  
Quæ veluti, Musas, altera Pallas amat.

Sit procul à gratis incuria tanta deabus,  
Officij reliquos quæ pia iura docent.

Leticie cum causa igitur Rex tempore leto  
Reginæ subcas rura paterna tuæ,

En etiam Musæ nostræ, tibi leta tuisq̄,

(Leta decent siquidem tempora leta) canunt.

Quenā ea sint queris? sunt lecta epigrammata, multis  
Tincta iocis, lepidi tincta lepore salis.

A 2

Quæ

Quæ te, quæ proceres aule, post seria rerum,  
Sed posito poterunt exhilarare mero.  
Pars horum nostra, ex alijs pars sumpta libellis,  
Cur etenim iungam non meliora meis?  
Ut mea quod nequeunt, aliorum carmina præstent,  
Tangat & ut finem sedula Musa suum.  
Si locus exiguis inter tot summa camœnis,  
Consecrata tibi carmina pauca lege.  
Hæc studijs te patronum te pacis adorant,  
Et celebrant Sophiæ mentem animumq; tuæ.  
Viue diu incolumis nostro rex optime sæclo,  
Omnia sint vitæ candida fila tuæ.

Reg. M. T.

Observantiß.

Nathan Chytraeus.

EPI

EPIGRAMMATA  
IN ADVENTVM FRIDERICI II.  
REGIS; ET SOPHIAE REGINAE DA-  
niae potentiss. & feliciss.

EPIGRAMMA  
NATHANIS CHYTRAEI.

**V**IS ipsum spectare Iouem? vis nosse Mi-  
neruam?  
En tibi cum Sophia Rex Fridericus  
adest.

Rex aequans bonitate Iouem; Regina Mineruam  
Fecundae exsuperans laude pudicitiae.  
Felicis oculos! felix Megalepolis! vna  
Cui lux dat geminos posse videre Deos.

DE NOMINE FRIDERICI II.  
Regis Daniae sereniss.  
NATHAN CHYTRAEVS.

**S**unt tria, rex Friderice, tuum quae nobile  
nomen  
Imperio spondet temporibusque tuis:  
Pax, honor, & pleno locuples opulentia cornu,  
Est quibus in toto carius orbe nihil.

A S      Macle

EPIGRAMMATA.

*Maeste animo, rex arctoi clarissime mundi,  
Hæc tria fac populis sint diuturna tuis.  
Aurea perpetuam præstet concordia pacem  
Regno, animo, genti consilijsq. tuis.  
Hinc virtutis honos, & honestas publica regnet.  
Sit pudor, & probitas, sit pietatis amor.  
Quin tua cunctarum prouentu diuite rerum  
Fiat & eternis gens opulenta bonis.  
Sic verè optati de nominis omine, diues  
Pacis, honoris, opum, rex Fridericus eris.*

SEQUUNTUR EPIGRAMMATA QUORUNDAM  
aliorum publica lætitiæ causa hinc inde colle-  
cta, & primo quidem.

G. BVCANANI.  
IN IDOLI CVLTOREM.

*M*Ane, pater noster, cum surda idola salutans,  
Ingeminas, sana mente videre loquis  
Saxeus illo ipso magis es, me iudice, saxo:  
Quippe patrem saxum qui fateare tuum.

IN QVENDAM ANTI-  
STITEM.

*Esse*

EPIGRAMMATA.

**E**SSe Lutheranum rumor te Posthume clamat:  
Sed tuus antistes te tamen esse negat.  
Tam scortaris, ait, quam si vel episcopus esses,  
Et potas dubiam peruigil vsq; diem;  
Nec memor es Christi, nisi quum iurare libebit,  
Nec scis scripturæ vel bene Iota sacræ.  
Nempe per hæc sœuit nunquam fallentia signa  
Ille vigil sanas noscere pastor oues.  
Quisquam igitur dubitat, rumôrne an episcopus erret,  
Tam bene commissam qui sibi nouit ouem?

EPIT. IAC. SYLVII.

**S**yluius hic situs est, gratis qui nil dedit vnquam,  
Mortuus, & gratis quod legis ista, dolet.

AD AMICOS.

**N**emo meos cineres violis fragrantibus ornet,  
Nudaue purpureas spargat in ossa rosas.  
Si quis amat, viuo largum se præstet amico,  
Officijs poterit dum locus esse pijs.  
Ast ubi fatales Lachesis mibi neuerit annos,  
Nostra vel incultis horreat vrna rubis.

ANGELI POLITIANI.

IN PAMPHILVM.

Mit.



EPIGRAM.

**M**ittis vina mihi, mihi Pamphile vina supersunt:  
*Vis mage quod placeat mittere? mitte sitim.*

**IN NIOBEN LAPIDEM,**  
*è Græco.*

**H**oc est sepulchrum intus cadaver non habens,  
*Hoc est cadaver & sepulchrum non habens.*  
*Sed est idem cadaver & sepulchrum sibi.*

**I. IOVIANI PONTANI**

*De Galla sterili.*

**G**alla fui, Gallo coniunx bene iuncta marito:  
*Verum nec pullos, ova nec vlla dedi.*

**ACTII SYNCERI**

*DE AVFIDIO.*

**D**um caput Aufidio tractat chirurgus, & ipsum  
*Altius exquirat, quò videat cerebrum:*  
*Ingemit Aufidius, Quid me chirurge fatigas?*  
*Quum subyrixam, non habui cerebrum.*

**IN LEONEM X. PONT. MAX.**

**S**acra sub extrema si fortè requiritis hora,  
*Cur Leo non potuit sumere: vendiderat.*

**IOANNIS SECUNDI, IN CHARINVM**  
*deformis uxoris marisum.*

**N**uper Charine coniugem

*Vidi*

MATA.

*Vidi tuam, tam candidam,  
Tam lacteam, tam floridam,  
Cultam, modestam, blandulam;  
Ut si mihi tales bonus  
Concesserit tres Iupiter,  
Diti daturus sum duas,  
Auferret ut superstitem.*

HENRICI STEPHANI, DE  
QUODAM ABBATE.

*CRASSUS quidam Abbas (cui moles corporis ingens  
Tota erat abdomen, totaq; venter erat)  
Mandibulis fessis, fesso iam gutture, fessus  
Ipse cibo tamen est, non satiatus adhuc.  
Sed medius ne fortè crepet, videt esse periculum:  
(Nanq; cutis mage quam tympana tensa fuit)  
Tum, quid ago? quid ago? comedendo me eneco, dicit.  
Latrante at contrà sic famulus stomacho,  
Ab here mi, per eum quo te complector amorem,  
Quaeso, mori tecum me sine morte pari.*

DE QUODAM EPISCOPO.

*In medijs epulis audi quid episcopus olim  
Sit questus, teneris non sine lacrymulis.  
Mensa referta fuit capis præpinguibus, inde  
Non turdus, perdix, non aberatq; lepus.*

B

Delis

EPIGRAMMATA.

Deliciasq; suas ipsa India miserat illuc,  
 Phasis & ipse suas accumulabat aues.  
 Deniq; cœna fuit quæ vere regia dici  
 Posset, vel potius posset episcopica.  
 Sed tamen hunc talis subeunt fastidia cœnæ,  
 Illius vlla satis nec sapit esca gula.  
 Appetit atq; petit peregrina cibaria quedam,  
 Quæ natura loci quæq; negabat hyems.  
 Tandem ira impatiens, Ab sancta ecclesia mater,  
 Clamat, io pro te quod mala perpetimur.  
 Dicite pontifices, aut libri pontificales,  
 Aut vos doctores dicite Seraphici,  
 Dicit subtilis qui doctor dictus es olim,  
 Aut tu à sorbendo quæ schola nomen habes,  
 Quenam sit, qualis sit, vbinam ecclesia, pro qua  
 Talia qui patitur, martyr habendus erit.

DE SENTENTIA PRONVNCIATA  
 à quodam Rustico.

Nidorem ad carnis, quæ torrebatur, edebat  
 Quidam (opsonandi copia nulla fuit)  
 Cuius erant carnes, hunc flagitat improbus æra:  
 Hic autem multo denegat improbius.  
 Ad pugnas res ducta foret: sed transijt illac  
 Rusticus: in media est arbiter is platea.  
 Respondet; si nil nidorem acceperit vltra,  
 Præter nummorum det nihil ille sonum.

DE

EPIGRAMMATA.  
DE DVOBVS FRATRIBVS  
*decoctoribus.*

Postquam sunt Aulo, sunt omnia perdita Paulo,  
Quæ fuerant longo parta labore patri,  
Vitæ subsidium ne desit fortè futurae,  
Ille artem legum discit, at hic medicam.  
Mox ad perdendi sed vterq̄ reuertitur artem:  
Ille etenim causas perdit, at hic animas.

DE MORIONE QVODAM EPI-  
scopum risui exponente.

Morio quum domini petiisset mane cubile,  
(Morio qui domino præsule dignus erat)  
Quattuor esse pedes, contrectans, sentit: (habebat  
Cum domini pedibus chara puella suos)  
Clamat & attonitus, vicinia tota cauet:  
Monstrum ingens nox hæc non bene fausta dedit.  
Factus herus quadrupes. si non mihi creditis, oro  
Vt faciat verbis ipsa lucerna fidem.  
Qui de alijs domino risum præbere solebat,  
Nunc domini non est morio, sed populi.

IN PONTICVM.

Non constare aiunt multi te Pontice mente:  
Constare at mentem Pontice dico sibi.  
Nam malè quæ sana est, sicut prius esse solebat,  
Constare hanc mentem quis sibi (quæso) neget?

B 2 DE

EPIGRAMMATA.

DE QVODAM, QVI AD PA-  
ribulum ducebatur.

AD mortem trahitur dum quidam, dum superestq̃  
Par spatium vite, par spatiumq̃ viæ;  
Peste infestatur platea hæc, quantum audio, dixit.  
Pertransire illam non ego sustineam.  
Alea de dulci subeatur cur mihi vita?  
Cur adeam tetrae certa pericla luis?  
In cruce post unam moriendum cui fuit horam,  
Post paucos metuit peste perire dies.

DE FRANCISCANIS.

QVI Franciscanos resti se cingere iussit,  
Illorum prauum nouerat ingenium.  
Ante oculos restim voluit versariet illis,  
Subq̃ metu semper viuere carnificis.

DE PHYLLIDE, QVAE QVINTO  
post nuptias mense pepererat.

ANTE legitimum statumq̃ tempus  
Quum puerpera facta Phyllis esset,  
Infamauit eam per ora vulgi  
Rumor continuo vagatus iste:  
Nuptias fuit ante nupta Phyllis.  
Sed ridens mulier, caputq̃ motans,  
Pauca hæc rettulit illa nuntianti:

Coma

EPIGRAMMATA.

Computat male vulgus imperitum,  
Nuptiarum etenim mei mariti  
Quinq; præteritos amice menses  
Quinque mensibus addito mearum:  
Non partus decimi sit iste mensis?

IN PAVLVM SERMONE  
affectato uentem.

Hesternam quum nos ad cœnam luce vocasti,  
Dicebas umbris pluribus esse locum.  
Sed nobis & eis pariter quas duximus umbris,  
Pro cœna cœna vix leuis umbra fuit.

DICTVM MULIERIS CVIVSDAM  
reprehensa quod immorigera esset.

Dum quædam cerebrosa diu reprehenditur vxor,  
Nec satis officij dicitur esse memor:  
Quid de me queritur coniux? quod vult, volo, dixit:  
Imperium is sibi vult, id volo & ipsa mihi.

LEPIDVM CVIVSDAM DICTVM.

Temperet vt lymphæ vinum dum fortè monetur  
Germanus quidam, talia verba refert:  
Si vestes ingressa adeo solet esse molesta,  
Pernicies stomacho quantaq; pestis aqua est?

B ;

AD

EPIGRAMMATA.  
AD QVANDAM.

QVum nondum scirem quid amoris tela valerent,  
Quum me, ceu torrens, abripiebat amor,  
Dicebare mihi mea lux, mea vita, meum cor:  
Auribus atq; dabam talia multa tuis.  
Nunc scio quid sit amor: nūc crux mea diceris, et mors  
Nam per quam morior, quā mihi vita foret.

DE QVODAM QVI CLY-  
sterem ebibit.

CLysterem ad quendam, cui nec de nomine chyster  
Notus adhuc fuerat, pharmacopola tulit.  
Atq; parum prudens, Chysterem hunc sumito, dixit.  
Verum hac anne illac sumeret, id tacuit.  
Quumq; pedem vix dum mouisset limine, promptè  
Ager chysterem corripit, atq; bibit.  
Nunc, Hippocraticis quos impallescere chartis,  
Iuuit, quos chartis doctè Galene tuis,  
Solvant nodum istum: num qui sic sumptus ab illo  
Chyster, chysteris nomine dignus erit.

IN QVENDAM.

EX animo semper loqueris quodcumq; loquaris,  
Vlla tuis verbis si tribuenda fides.  
O quo nil nostro magis est mirabile seculo,  
Ex animo loquitur cui nihil est animi.

IANI

EPIGRAMMATA.

IANI DVZAE IN SABEL-  
lum potorem.

Vnde suum quæris ducat cereuisia nomen:  
Quod visat cerebrum crebra Sabelle tuum.

PICTORII AD MARCELLVM.

Nescio quid, nisi decipior, Marcelle videris  
De socia casti subdubitare tori.  
Vtq; latebrosum possis deprendere crimen  
Subsistis tacitis semper in insidijs.  
Pone quod inuenias: quid agere vidiſſe dolebis,  
Cum bona sit tanto nulla medela malo.

MVRETI DE POM-  
pilij Naso.

Pompilio est nasus cubitos tres longus, & vnum  
Latus, & hunc murus cingit vtrinq; triplex.  
Adsunt & turres Bacchus quas condidit ipse,  
Et minio tinctis vsq; rubere dedit.  
Huic etiam naso vis admiranda tributa est,  
Nam calices siccos illius vmbra facit.  
Imo etiam longe distans si senserit vsquam,  
Vt magnes ferrum sic trahit iste merum.  
Nuper eram in mensa sitiens potare paratus,  
Pompilius clausas astitit ante fores:

Mira



EPIGRAMMATA.

Mira canam, sed vera; merum mihi forte paratum  
Attraxit naso protinus ille suo.

IN NASVM PAULI.

EXiguum si quis nasum vidisse laborat,  
Paulum adeat, Paulo si modò nasus inest.  
Non etenim est nasus, sed pars centesima nasi:  
Et quo quis viso dicere possit, ubi est?  
Talis inest nasus muscis, sed & his quoq; maior,  
Et melius nasi nomine dignus inest.  
Quam quæ per radios volitant corpuscula solis,  
Maiorem nasum vix, puto, Paulus habet.

IOHANNIS SECVNDI

in Nanum.

AVsus formicæ Nanus conscendere tergum,  
Credebat domito sese Elephante vehi.  
At verò, ut cursu fertur nimis illa superbo,  
Infelix media præcipitatur humo:  
Calcatusq; miser, quid rides, inuide, casum,  
Dixit, communem cum Phaëtonte mihi?

IN GELLIAM.

MOechos dicere quos solemus, illos  
Mauult Gellia filios vocare:  
Nec id iudicio meo imperitè:  
Nam si dicere filios suerunt

Matres,

EPIGRAMMATA.

Matres, quos aliquot tulere menses;  
Quos decem minimum tulit per annos,  
Quidni Gellia filios vocabitis?

THOMAE MORI, IN ASTROLOGVM  
currucam.

Astra tibi aethereo pandunt sese omnia vati:  
Omnibus & quae sint fata futura, monent.  
Omnibus aſt vxor quod ſe tua publicat, id te  
Astra, licet videant omnia, nulla monent.

IN PARCV M MORIENTEM.

Chryſalus heu moritur diues, dolet, ingemit, vnquam  
Nemo magis trifti pectore fata tulit.  
Non quoniam ipſe perit, cui nil ſe vilius ipſo eſt:  
Sed nummi pereunt quattuor in tumulum.

AD MALAE VXORIS MARITVM.

Vxor, amice, tibi eſt ſemper mala: quum malè tra-  
Fit peior: ſed fit peſſima, quando bene. (Elaſ,  
Sed bona, ſi moriatur, erit: melior tamen, id ſi  
Te faciat viuo: aſt optima, ſi properè.

IN PICTOREM.

Cum cane ſic pictus lepus eſt, vt dicere nemo  
Eſſet vtérue canis, poſſet, vtérue lepus.  
Pictor vbi hoc didicit, quod inertī defuit arti,  
Suppleuit miro callidus ingenio.

C

Res

EPIGRAMMATA.

Res ut aperta foret, longeque faceſſeret error,  
Subſcripſit tantum, eſt hic canis, iſte lepus.

AD QVENDAM.

Quam tibi mens leuis eſt, tibi ſi pes tam leuis eſſet;  
Pes neque molliculum ſaltando rumperet ouum,  
In medio & leporem poſſes præuerrere campo.

BAPTISTAE AMALTHEI

in Prillam.

O ego, dum nitidos errat mea Prilla per hortos,  
Quam vellem rutilæ flos nouus eſſe roſæ!  
Qui ſeu virgineo decerptus molliter vngue,  
Ornarem ambroſiæ florida ſerta comæ;  
Siue ſinum, & roſeas perfunderem odore papillas;  
Afferrem tacitas vndiq; blanditias.  
Gnoſiaq. ut quondam ſtellis illata corona eſt,  
Et Beronicæi verticis exuuiæ;  
Sic iam aliquis forſan, felici lumine cum me  
Linqueret aridulis forma cadens folijs,  
Obſeruans cælo fulgentem, aſtrisq; micantem,  
Diceret ipſa ſuam ſidera habere roſam.

ANTONII GOVEANI DE

caſta puella.

O ſcula cum vellet Furius libare puellæ,  
Aduerſam Furij percutit illa genam.

Dixit

EPIGRAMMATA.

Dixit & i manui crepitantia basia fige:  
Nanq̄ eadem penitus sunt manus, osq̄, caro.

AD ZEBEDAEVM.

Nec voces hominum, nec te decreta senatus  
Ut barbam ponas, vlla mouere queunt.  
Nolo virum, barba querit qui nobilis esse,  
Hunc volo, qui barbam nobilitare potest.

CLAVDII ROSELETTI DE Q̄VODAM  
auarissimo.

Sub terra nuper qui fuluum condidit aurum  
Quantum vix cepit diuitis arca Midæ:  
Is semel, ab demens, voluit, suspensus ab alta  
Fronde oleæ, propriae conscius esse necis,  
Sed timet vt laqueum tenui mercarier ære,  
Stramineo fecit fune sibi laqueum.  
Eminus hunc messor prospectans, ante cucurrit,  
Mox miserum infausto liberat à laqueo.  
Nescius vlli homini benefactum reddere, nedum huic  
Qui dulcis vitæ libera causa fuit:  
Mæstè, agreq̄ ferens, ad præsidis ora timenda  
Messorem ingratus mane venire iubet:  
Cogat vt effractum funem persoluere, nunquam  
Verterit ingenium gratia lata malum.

IACOBI ROGERII DE ME-  
dico & agro.

C 2

Venes

EPIGRAMMATA.

Venerat ad medicum mulier tristissima, cuius  
Torquebat miserum febris acerba virum.  
Ille per urinam morbi causamq. modumq.  
Edoctus, scriptum tradidit antidotum.  
Fac tuus hoc potet coniux primo, inquit, Eoo,  
Sentiet optatam, crede, salutis opem.  
Leta domum properat, nec pharmaca sumit, at agro  
Ex vino oblata est charta voranda viro.  
Iussa facit fidente animo, nunc febre fugata,  
Viuat, & est medico gloria rara suo.

DE VINI POTORE EGREGIO.

Cur tibi, Bacche pater, non fertur Gallus ad aras;  
Si caper est sacris victima grata tuis?  
Par utriusq. nefas, nec par iniuria: namq.  
Hic est perniciēs vitis, & ille meri.

FLAMINII AD PVELLAM,

De niue.

Me niue candenti petijt modo Iulia, rebar  
Igne carere niuem, nix tamen ignis erat.  
Quid niue frigidius? nostrum tamen vrere pectus  
Nix potuit, manibus Iulia missa tuis.  
Quis locus insidijs dabitur mihi tutus amoris,  
Frigore concreta si latet ignis aqua?  
Iulia sola potes, nostras extinguere flammās,  
Non niue, non glacie: sed potes igne pari.

C 3

DE

EPIGRAMMATA.

DE MEDICIS. EVR. COR.

**T**Res medicus facies habet: vnā, quando rogatur,  
Angelicam: mox est, cum iuuat, ipse deus.  
Post, vbi curato poscit sua præmia morbo,  
Horridus apparet terribilisq; Satban.

ANTONII MINARII AD  
*malum poetam.*

**Q**uod fronte obducta, pulloq; incedat amictu  
Mæuius, & crebros excutiat gemitus,  
Non charam vxorem, fratres, aut dulcia natos  
Pignora, nec matrem, nec gemit ille patrem.  
Librorum exequijs interfuit ipse suorum:  
Hinc ille lachrymæ Mæui, & hinc gemitus.

IO. AVRATI AD SIDERIDEM.

**O**Lentum mihi tormentum ferrata Sideri,  
O animæ tristis carnificina meæ?  
Te quidem amo, sed sic vt amat bos lassus aratrum,  
Excutere è collo quod nequit ille suo.  
Quod si vis in amore meo est, si cogor amare:  
Non odi, quod amo; sed nec amo, quod amo.

INCERTI.

**D**um cadit è medio nix albertissima cælo,  
Ante ades dominæ peruagor ipse meæ.  
Ecce manu niuea niueos in me iacit orbis:  
Forsan vt ardorem pelleret illa meum.

EPIGRAMMATA.

Tunc ego; non satis est nostras extinguere flammās  
Quidquid ab arctoo decidit axe niuis.

IOANNIS TARGETI IN MA-  
lum medicum.

QVod gemit atq; tuus crebro conclamat a fellus;  
Huic medice insanis iētibus ora notas.

Desine nil meritum diro punire flagello,  
Ille etenim causas vnde queratur habet.

Indignatur herum vilem portare misellus,  
Hinc gemit, hoc vno calcitrat impatiens.

Scilicet æstiuo nuper sub sole pedester  
Findebas tardo rura aliena boue.

Nunc incedis eques, ciuili veste superbus,  
Ornat & articulos lucida gemma tuos.

Quis te artes docuit medicas, cæliq; meatus,  
Sideraq; & rerum noscere principia?

Ergo seu rudat, feriat seu calcibus auras,  
Ipsam crede asinum dicere, porto asinum.

N. C. IN GRILLVM SCABIOSVM.

SEgnis erat Gryllus, saxiq; immobilis instar,  
Mandibula excepta deniq; totus iners.

Viderat hoc Scabies, Gryllumq; vt redderet acrem  
Pruritu huic vexat membra manusq; suo.

Mox ille euigilans vngues in vulnere mittit,  
Et quod agat semper iam scabiosus habet.

IN

EPIGRAMMATA.  
IN BATRACHVM.

Conspexisse asinum Batrachus se pernegat vllum,  
Non asinos patriæ dicit inesse suæ.  
Vix equidem credo: quin cum se viderit ipsum  
In speculo toties, dicere vera nego.

IN GARRVLOS.

Garrulus est Crotalus, Lalage cui contigit vxor  
Garrula, quò videas iungere fata pares.  
Quid censes? an non tali de matre disertos  
Producet natos ille loquax Crotalus?  
Non nego. de Crotalo mera quin crepitacula nasci  
E tam multiloqua coniuge posse puto.

AD FRIDERICVM II. REGEM  
DANIAE potentiſſ. Meliſſus.

Pace quid vtilius? quid Marte nocentius orbi?  
Hic perdit reges; illa perire vetat.  
Stultitia exoptat bellum; sapientia pacem;  
Imperium nutu statq; caditq; Dei.  
Marte suas gentes & vertere regna laborant  
Sanguinea quòs faux ardet anabela siti.  
Pace tuos stabili populos Friderice gubernas;  
Inde beata suo Dania flore viget.  
Quam te regnantur sapienter principe terræ!  
Cui Sophia in corde est, cui Sophia ad latus est.

DE



EPIGRAMMATA.

DE FRIDERICI II. REGIS; ET  
SOPHIAE DANIAE REGINAE, SPLEN-  
didiss. in Megapolin. aduentu.

Dum Varni Roseas cum coniuge nauigat undas  
Magnanimis maior Rex Fridericus auis;  
Varnus ouans, tanti dudum praesagus honoris,  
Corniger è fluuio conspiciendus, ait:  
Quis nouus atq; adeo excellens me illuminat hospes?  
Quenam nymp̄ha meas aurea sulcat aquas?  
Fallor an arctoi rex florentissimus orbis  
Compare cum Sophia rex Fridericus adest!  
Rex Fridericus adest, Sophia comitante, nec vnquam  
Intrauit nostras clarior hospes aquas.  
Non mihi iam Rhenus, plures licet alluat vrbes,  
Non mihi se turgens conferat Eridanus.  
Sed neq; dum pompa tali mea flumina fulgent,  
Mi iac̄ s reges Tibri vel Arne tuos.  
Hic meus, est nostro regum rex optimus aeuo,  
Et uebitur nostris altera Pallas aquis.

R. M. T.

obseruantiss.

NATHAN CHYTRAEVS.